



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 3. Quid tenendum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

nem. Et S. Thomas, charitati tribuit, quod Christus pro nobis mortem subierit; negat autem vim coactivam. Ibidem 5. v. 18. dicitur. *Si spiritus ducimini, non estis sub lege.* Et 1. ad Hebr. 1. v. 9. *Iusto non est lex posita.* Quorum sensus est; quod iustus non operatur ex timore poenae, cuius comminatio, est distinctiva legis, à consiliis; sed operatur ex adhaerentia charitatis, ad voluntatem divinam.

RESPONDETUR. Imprimis, concedendo totum: quia procedit de exclusionem comminationis, per ordinem ad Christum, sed negatur, à consiliis, solà hac comminatione, distinguere praeceptum, de quo infra. Deinde possumus hæc intelligi, de exclusionem comminationis absolutæ, non conditionatæ. Rursus non inde sequitur, non extraxisse Deum aliqua, ex hâc & nunc licet ponibilibus, ad non ponibilia licet. Quod autem mortem charitati tribuat S. Thomas: hoc significat, quod etiam ad obedientiam, praecepto moriendi, ultimo se resolverit Christus, affectu charitatis erga nos. Item ostenditur, non latum praeceptum Christo, non praeconsultâ illius libertate & voluntate, ex charitate se offerentis ad mortem.

4. RATIO ejusdem est. Non congruebat, nec decebat, ut Filius Dei naturalis, intrinsicè determinatus, ut nihil inhonestum ageret, eo legum genere premeretur, quæ imponuntur peccatoribus, aut filiis adoptivis, potentibus filiationi illi renuntiare, pro quo etiam citat S. Thomam, & sicut non praecepta incarnatio, ita nec praecepta mors.

RESPONDETUR. Concedo hoc totum. Sed nego, non decere, ut per vim legislativam, posset extrahi aliqua actio, ex ponibili licet hâc & nunc, ad non ponibilem licet, de quo in præsentia disquiritur. Addo, absurdum ipsum urgere, ne dicatur Christo esse praecepta incarnatio: quia hoc ipso inferretur superioritas unius personæ in aliam; jam autem hoc absurdum non inferretur, si ponatur praeceptum obligativum naturæ assumptæ, & per communicationem idiomatum, personæ: ex quo nulla sequetur in personâ inæqualitas; præcipue autem, quia locutiones sacræ, de praecepto innuunt, quas simpliciter accipi nihil vetat.

5. RATIO. Voluntas Dei, præcipue circa mortem Christi, non erat purè insinuativa maioris perfectionis, sed insuper fuit onerosa, & comminativa alicujus mali, si nollet mori; non enim contulisset illi salutem nostram, si nolisset pati; voluntas autem præcipiens subdito opus, non præcisè ut melius, sed cum comminatione mali infligendi, praeceptum appellatur tamen si nullam inducat obligationem; talesque sunt leges purè poenales.

RESPONDETUR. Concedo, sic sumi posse praeceptum; sed quærere restat: cur non sit Christus

capax præcepti, vi cuius, id quod erat ponibile hâc & nunc, licet à actione, extrahatur ad non ponibilem licet à actione: quod tamen venit propriissime nomine præcepti.

Punctum Difficultatis 3.

Quid tenendum?

PRÆMITTO 1. Quando volumus investigare, an aliqua perfectio competat Deo? recurrimus ad hoc, ex sensu Theologico: an seclusis imperfectionibus, & remanente proprio conceptu illius prædicati, possit adhuc tribui Deo? Cujus ratio est: quia unaquæque res habet sua essentialia constitutiva. Hinc constitutivis illis relictis, demptis autem reliquis, manebit adhuc integra rei perfectio. Et ita, si auferas ab igne calorem, manere adhuc potest forma ignis; licet in illa sit radix exigentia caloris. Porro sequentia, & quæ præscindi possunt, salvâ rei perfectione, seu constitutivis ejusdem, in triplici sunt ordine. Velenim sequuntur physicè, & sunt passionibus, aut accidentia distincta realiter, ut calor ab igne; vel sunt sequentia non nisi metaphysicè: & tales sequelæ prædicatorum, cum sint idem realiter cum essentialibus, (hoc ipso enim non essent solum sequentes metaphysicè) ideo sunt tales, ut illis ablatis, non sit perfectio futura eadem realiter. Et sicut, si auferantur essentialia, non esset idem: quodlibet enim est, aut non est; ita & ablatis quæ identificantur, non erit res eadem realiter. Quia tamen salvari in illis dicitur ratio sequelæ metaphysicæ, & accidentis intentionalis; ideo, in ordine ad nostras intentiones, poterit adhuc sine illis salvari essentia. Ratio est: quia nostræ intentiones, pro statu præcisionis, non attendunt ad identificationem realem. Et ita seclusâ per rationem risibilitate, manet adhuc essentia metaphysica hominis, licet non maneat realiter homo. Denique quædam sunt, quæ interdum sequuntur se, & connectunt se secum, in uno actu; ita tamen, ut aliâ in simili actu non necitentur. Et ita, si actus fiat ex duobus motivis, necitentur illa motiva inter se, in eodem actu; necitentur tamen ita, ut interdum in alia intentione separentur.

Applico hæc ad præsens. Inquirendo, an praeceptum & lex, respectu Christi, rigorosa dari potuerit? investigandum, est, an tota essentia præcepti, respectu Christi, salvari possit? licet non ponantur ea, quæ cæteroquin aliquo uno præcipiendi actu connectuntur secum; sed ita, ut se per modum sequentium habeant; & sine quibus essentia præcepti salvari possit.

PRÆMITTO 2. Quid sit Lex, Præceptum, Mandatum, Consilium? Lex potius ligat & ordinatur

dinatur ad communitatem: Præcepta sunt etiam particularium. Unde usus dicendi obtinuit: Religioso A, præceptum est in virtute obedientiae. Et non dicitur, lex illi lata est, in virtute obedientiae. Explicat id multis S. Thomas 1. 2. q. 90. a. 2. & 3. in corp. *Mandatum* quoque à Præcepto distinguit ibidem q. 99. a. 5. in corp. per hoc, quia mandatum est de meliori solum, & quod per alios mandatur: præceptum autem est de necessario, & quod quis per se iussit.

Consilium, etiam profectum ab eo, qui habet jus præcipiendi, per hoc discernitur à præcepto, quod indicet solum inclinationem animi, circa aliquod objectum, ortam ex illius speciali prudentia, sine tamen intentione obligandi, quæ est in præcepto, adeoque juxta, S. Thom. 1. 2. q. 108. a. 4. in corp. præceptum importat necessitatem, consilium autem in optione ponitur ejus, cui datur.

Cæterum, quamvis lex & præceptum distinguipossint, in præsentia tamen controversia indiscriminatim usurpantur. *Hac notione terminorum posita*,

PRÆMITTO 3. *In quonam essentia Legis seu Præcepti consistat?* Lex ordinariè (ut dictum in materia de justitia) ita definitur ex S. Thoma, quod sit quædam regula, seu mensura actuum: (supple moralium) secundum quam, inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur, quod totum intelligendum est, de inductione habente rationem debiti; ut videre est 1. 2. q. 99. a. 1. & 5. in corp. ipsa enim agenda, sub præcepto non cadunt, nisi in quantum habent aliquam debiti rationem.

Quia verò à debito præsupponitur jus, jusque est activum debiti, cui, pro passivo respondet debitum ex præcepto: ex mente S. Thomæ q. 90. a. 1. ad 1. hinc distinguipoteest præceptum, in activum, & passivum, activum tenet se à parte præcipientis; passivum à parte ejus cui præcipitur. Porro ipsum præceptum activum versari adhuc potest, vel circa ea, ad quæ liberè se extendit; scilicet circa ea, quæ ideo mala, quia prohibita, vel circa ea, ad quæ necessario se extendit; nempe ea, quæ non possunt non prohiberi. Quæritur ergo, in quo stet essentia & definitio præcepti, ad utrumque hoc objectum se extendentis? dicique potest, quod præceptum activum definitivè sit, ordinatio impositiva obligationis moralis, procedens secundum potestatem jurisdictionis. *Ordinatio*, est ei communis, cum quibuscunque directionibus: pro differentia non ultima, dicit *Obligationem*, quæ potest etiam ad justitiam spectare. Porro *obligatio procedens ex potestate jurisdictionis*, est illius ultimò distinctiva. Passivum verò præceptum, erit, ordinatio & impositio obligationis, respondens ordinanti &c.

Quod si quæras, quid sit obligatio? dici potest, quod sit adstrictio ad unam partem. Et ita, si Deus dicat; Non mentiaris, adstringit pro sua parte creaturæ libertatem, ut loquatur conformiter menti. Item, si præcipiat festum; adstringit ad abstinentionem operis servilis, quæ adstrictio, non ita est intelligenda, quasi vi illius auferatur libertas agentis: sed quia est determinatio malitiæ objecti, ad quam se exporrigere, natum est præceptum. Hæc ordinatio, si sit ita impositiva obligationis, ut non potuerit non imponi; versabitur circa objectum de se malum. Si poterat non imponi; versabitur circa indifferentes in ante.

Dando autem rationem communem ad præceptum activum & passivum, erit ordinatio, cum impositione obligationis moralis, secundum potestatem jurisdictionis, quæ impositio est quid commune, ad activum & passivum; & si sit ordinatio activa, & impositiva, supponet pro præcepto activo; si sit ordinatio impositiva, erit præceptum passivum.

In his obligationibus, hæc est differentia: quia obligatione, circa ea quæ non poterant non prohiberi, Deus non adstringit libertatem suam divinam, de hoc extrahendo, ad rationem mali: independenter enim à Dei voluntate, mentiri est malum; adstringit autem suam libertatem, dum vi suæ præceptiva utitur, circa ea, quæ poterant non prohiberi. Rursus, vi illius prioris præcepti, non extrahit Deus objectum à conditione objecti honestæ cæteroqui actione, independenter à prohibitione divina, exercendi; in posteriori præcepto extrahit. Denique, in posteriori præcepto, est liber ut illud publicet, vel publicet oppositum; in posteriori autem, non est liber, ut publicet v. g. mendacium esse licitum; sed est liber in his, solum quoad modum publicandi, vel per revelationem, vel per dictamen.

PRÆMITTO 4. *Licet formando præceptum, semper debeat salvari essentia præcepti; aliter tamen illud respectu ingenuorum, aliter respectu servilium, formatur.* Ostendit hoc ipsa ratio præcipiendi in humanis: ipsaque diversitas rerum publicarum: in regno enim electivo, paretur ita Principi, ut tamen supponatur, ipsâ electione dari illi facultas, præscribique modus imperandi; & si regimen ingrediatur etiam respublica: imperatur, sed consentientibus, per suos Principales, subditis. Et ratio est: quia licet omne præceptum involvat rationem debiti; ita tamen illam involvit, ut non sit debitum rigorosum; adeoque admittit medium rationis: consequenter admittit attendentiam ad conditionem Personarum. Et si in distributiva (licet hæc ultimò quiescat in medio rei) attenditur ad dignitatem personarum proportionandam; multo magis id præcepto conveniet.

PRÆ-

PRÆMITTO 5. *Salvari bene posse rationem præcepti, sine comminatione pœnæ.*

RATIO. Tum quia, ut dictum, in alio stat essentia præcepti. Tum quia, si potest secundum personarum dignitatem formari aliter & aliter præceptum: Ergo etiam potest esse dignitas, cui non sit intimanda pœna. Tum quia, tunc rationabiliter intimatur pœna, quando rationabiliter præsumitur periculum non obediendi; fieri autem potest, ut sit subiectum capax præcepti, & tamen non sit capax periculi disobediendi. *His præmissis*

FORMANTUR TENENDA.

DICENDUM est 1. *Christum Dominum non fuisse capax præcepti, de non peccando, circa ea, quæ de se mala sunt.*

PROBATUR 1. Quia non potest homini imperari, ut ex obedientia sit homo: Ergo neque potest imperari Christo, ut v.g. non mentiatur; idque ideo: quia non magis est impossibile homini, ut non sit homo, ac est impossibile Christo, ut mentiatur.

PROBATUR 2. Quia non potest Deus imperare cuiquam impossibile: Ergo neque prohibere id Christo, quod, quamvis non censeretur illi prohiberi, est impossibile ut committat; non enim est major ratio, cur non habeat æqualem vim retrahendi, à præcipiendo, ac à prohibendo, impossibilitas faciendi, utrobiq; inclusa.

PROBATUR 3. Quia per ordinem ad talia objecta, formatum Christo præceptum, & esset obligatio moralis à potestate jurisdictionis imposita, ut supponitur; & non esset: quia respectu cuius obligatio non habet effectum suum formalem obligandi, respectu illius non est obligatio. Tum quia respectu cuius, unio ita se habet, ac si non esset unio: respectu illius non est unio: Ergo idem est de obligatione. Tum quia, antequam esset obligatio, non erat obligatio: Ergo etiam cum est obligatio, si non habet effectum formalem obligandi, non est obligatio. Tum quia obligatio, hoc ipso seipsam non habebit, si non obligabit; & cum nihil possit non habere seipsum, & non esse seipsum: etiam obligatio non potest non obligare. Minor principalis probatur, nempe hæc. Sed obligatio, per ordinem ad talia, respectu Christi, non poterat habere effectum suum formalem. Quia non censetur obligari eis ea obligatione, ne mentiatur v.g. cui si obligatio illa accedat, siue non, mendacium est factum impossibile: redibuntque rationes immediatè pro majori facta. Deinde, obligatio necessario debet esse præsupponens liberum: & quod, nisi ligetur, defectu obligationis, extendet se ad hæc, ad quæ non præsupponitur ligari: Christus autem non erat liber respectu mentiendi, sed necessitabatur ad non mentiendum.

OBJICITUR 1. Si Christus non erat capax præcepti, v.g. circa non mentiendum: Ergo si per impossibile mentitus fuisset, commisisset nonnisi peccatum philosophicum; quia nullo modo sibi prohibitum à Deo.

RESPONDETUR. Peccatum philosophicum non per hoc formalisatur, quod fiat circa rem à Deo non præceptam: sed quod patretur, sine advertentia ad Deum; quod in impossibili illo mendacio Christi non esset: diceret enim Christo conscientia illius, quod hoc mentiri, quod est mihi impossibile, displiceat Deo, & fundet ejus averfionem, licet, per impossibile, mentiendo, non commisisset inobedientiam rigorosam & formalem, sed solum materialem; ponendo mendacium, quod est materia cæteroquitalis, ut Deus illam prohibuerit.

OBJICITUR 2. Prohibitum naturæ intellectuali creatæ, ut sic, est prohibitum etiam Christo; aliàs hoc ipso non esset prohibitum naturæ intellectuali ut sic; prohibitum autem Christo, est præceptum Christo.

RESPONDETUR. Prohibitum materialiter toti naturæ intellectuali, est etiam prohibitum Christo; ita tamen, ut hoc non veniat nomine præcepti formaliter. Porro nomine præcepti materialiter, venit id, quod est dissonum naturæ intellectuali; præceptum autem formale, insuper requirit usum potestatis, jurisdictionis: qui usus non habetur, nisi respectu puræ creaturæ: hinc etiam respectu Dei, mendacium est dissonum; & tamen respectu Dei, non est præceptum, de non mentiendo.

OBJICITUR 3. Hoc, quod est dissonum naturæ intellectuali, potest adhuc prohiberi specialiter à Deo, datque locum legi divinæ: Ergo & hoc, quod cæteroqui est impossibile factum Christo, potest reddi prohibitum, prohibitione divina.

RESPONDETUR. Disparitatem esse; quia in casu antecedentis, datur effectus illius præcepti, nempe determinatio illius objecti, à parte Dei, extractioq; illius ad statum peccati proxime Theologici; jam autem in casu consequentis, non habebit præceptum ullum effectum, ex jam dictis.

DICENDUM est 2. *Respectu eorum, quæ cæteroqui potuissent honestè actione fieri, vel non fieri, datur locus præcepto, respectu Christi.*

PROBATUR 1. Omnibus illis autoritatibus, Scripturæ, & Patrum, quæ innunt de præcepto dato Christo; & in particulari de præcepto moriendi; quam tamen mortem, independentem à præcepto, potuisset Christus oppetere, vel non oppetere: *Nemo enim animam ejus tollebat ab eo.*

PROBATUR 2. Quia in tali præcepto, nulla repugnantia; possibile ergo erat respectu Christi; & si supponatur, de facto latum fuisse hoc

præceptum, simpliciter accipientur, & ut sonant, verba Patrum.

PROBATUR 3. Quia vel poterant, respectu Christi, extrahi aliquam materiam, ut non possent jam honestam actionem exerceri, vel non poterant extrahi? si non poterant extrahi: Ergo non poterat Christus, nisi mori; nam nunquam actione honesta potuisset exerceri, non mori: ut supponit respondens, dum negat, posse præcepto extrahi materiam, ut non fiat jam honesta actione id, quod ceteroqui actione honesta fieri potuisset; nullaq; dabitur in Christo libertas. Si poterat extrahi: hæc extractio, non potest fieri solo consilio; quia licet fiat oppositum consilio, honeste fit: ut honestum est, esse divitem, etiam posito consilio Christi, de paupertate: Ergo illa materia debet extrahi vi præceptivæ. Quod autem dicitur, hoc ipso futurum Christum servum; id non convincit: quia phrasim est Scripturæ, *Formam*, inquit, *servi accipiens*.

DICENDUM est 3. *Admissio præcepto, circa prædicta, non debet admitti, quod adjungatur comminatio pænæ.*

PROBATUR 1. Non potest ferri Christo præceptum rigorosum, de non mentiendo: Ergo nec comminativum: quia illorum utrumque frustra foret; & sicut, frustra esset præceptum de non mentiendo: quia sive fiat præceptum, sive non fiat, impossibile est Christum mentiri; ita & comminatio pænæ est impossibilis: hæc enim supponit culpam, impossibilis autem est suppositio culpæ, in Christo.

PROBATUR 2. Quia præcepta, respectu hominum, non æqualiter formantur, salvâ essentia præcepti; nec omnibus, quibus præcipitur, fit comminatio pænæ, sed non nisi parum ingenuis: Ergo neq; Christo, debebat Deus comminari pænâ; cujus tanta ingenuitas.

PROBATUR 3. Quia comminatio pænæ, non est essentia præcepti, sed est alius actus, natus sequi præceptum: non enim ideo aliquid præcipimus, quia comminamur; sed comminamur, supposito præcepto. Deinde commina-

tio, cum sit actus voluntatis, debet habere prælucentem sibi actum intellectus, qui non potest præluere hic; quia, ut comminatio pænæ sit prudens, debet supponere possibilitatem reatus, qui in Christo non potest supponi.

Addo. Quando jam, ex factibili ceteroqui honesta actione, extrahitur objectum, ad non factibile honestam actionem, idque per ordinem ad Christum; hoc ipso, exierit sese impossibilitas peccandi, redditq; illud objectum impossibile Christo: quâ redditione impossibilitatis positâ, informatur jam divinus intellectus, non esse comminandum; siquidem jam evadit illud impossibile ut fiat.

Sed potestne Deus Christo comminari culpam? Si per ly *comminari culpam*, intelligatur extrahi materia ad rationem prohibitæ: vi secundæ conclusionis, capax est Christus comminationis culpæ: si per ly, *comminari*, intelligatur intimatio culpæ, quæ nata est fieri post latum præceptum: sic non est etiam comminationis culpæ capax Christus; quia sive illa comminatio fiat, sive non fiat, jam lato illo præcepto, non poterit illud non facere Christus. Hinc præceptum illud, de quo 2. conclusio, ita intelligendum est formari: Hoc potuisset honestam ceteroqui actionem fieri vel omitti, sed præcipio ut fiat; non verò sic: Hoc non fac, quia si feceris, peccabis: antequam enim intelligatur istud, *Si feceris, peccabis*, incipit jam occupare illam materiam, & ad illam se exporrigere, impossibilitas peccandi, enervatq; vim ponibilitatis illius actus, qui intinet peccatum.

Neque valet si dicat. Saltem est Christus capax conditionatæ comminationis: si enim res sit de conditionata comminatione, quoad culpam, illius est capax Christus: verè enim dicitur intellectus divinus Deo; si hoc faceret, peccaret humanitas Christi. Sed non est necesse, ut sequatur actus voluntatis absolutus (de quo hic) quo dicat; volo punire si faciat. Ratio: quia ne ad illud volo absolutum profiliatur, obest prævisio absoluta impossibilis culpæ.

